

agnoscit D. Thomas in lumine prophetico 2-2, quæstione CLXXIII, tamen e converso nunquam potest dari, quod species supernaturales sine lumine supernaturali concurrant ad cognitionem supernaturalem, quia cum notitia pariat ab objecto, et potentia, si objectum, seu species est supernaturalis, oportet quod potentia sit elevata supernaturaliter, alias non esset proportionata objecto, et consequenter non pareret notitiam, quia ubi non est correspondentia, et proportio utriusque causæ, effectus exire non potest. Quare cum species teneat se ex parte objecti, et vice objecti concurrat ad cognitionem, oportet quod in ipsa potentia, quæ illi proportionata non est, detur aliqua elevatio, seu virtus, qua proportionata reddatur objecto, seu speciei, et hæc non potest esse ipsa species, cum species sit id, cui proportionari debet potentia.

XIX. Dico secundo: Habitus iste seu lumen in scientia infusa non est unicum, sed sunt plures habitus. Hæc est contra patrem Suarez ubi supra, sed sine dubio est mens S. Thomæ articulo sexto hujus quæstionis, idque communiter sequuntur Thomistæ. Est tamen difficile explicare rationem S. Thomæ in articulo dum colligit dari diversa genera scibilium, ex eo quod dantur diversæ species repræsentantes diversas naturas específicas. Instatur enim hæc consequentia in nostris scientiis acquisitis, in quibus species, quas habemus repræsentant diversas naturas específicas, et tamen diversa genera scibilia non commensurantur diversitati specierum repræsentantium naturas, si quidem in uno genere scibili, verbi gratia, in scibili physico, aut metaphysico includuntur diversæ species repræsentativæ naturarum; ergo ex sola diversitate specierum non bene colligitur diversitas scibilium, si quidem possunt

stare plures species sub uno genere scibili. Quod si sub uno, cur non omnes species infusæ sub uno genere scibili supernaturali continentur, atque adeo sub uno habitu, quia habitus sequitur scibilitatem, non repræsentationem specierum? Penes diversam enim scibilitatem objectorum distinguuntur scientiæ, non penes diversitatem specierum repræsentantium.

XX. Et ex hoc magis clarescit, quod D. Thomas loquitur hic de habitu scientifico, ut distinguitur a speciebus, quia diversitatem habituum desumpsit, non ex diversa repræsentatione, sed ex diverso genere scibili, id est, ex diversa scibilitate, seu modo sciendi; ergo non loquebatur de diversis speciebus tantum, sed de diversis habitibus scientificis, qui a speciebus distinguuntur.

XXI. Respondetur ergo illam consequentiam D. Thomæ in hoc consistere, quod ad diversum genus scibile multiplicandum necessario præsupponitur species repræsentativas esse multiplicatas, et hoc ipso, quod multiplicantur species repræsentativæ non absolute, sed secundum modum connaturalem animæ humanæ, ut expresse dicit S. Thomas in corpore articuli sexti, sequitur necessario, quod debet multiplicari diversum genus scibile, ex quo desumitur diversus habitus scientificus. Hoc autem ex eo patet, quia hoc ipso, quod species repræsentativæ multiplicantur juxta connaturalem modum animæ humanæ, sequitur quod non solum debent repræsentare objecta simpliciter, sed etiam connexionem veritatum cum suis principiis. Ex eo autem resultat diversum genus scibile, id est, diversus modus scientificæ cognoscendi, quia resultant diversa principia non reducibilia in unum; ad hoc autem quod non sint reducibi-

lia in unum requiritur, quod illæ species minus unite repræsentent, et consequenter ex eo quod illæ species animæ Christi sint magis divisæ, et minus universales, quam species angelicæ, sequitur quod principia cognoscendi veritates minus reducant in unum principium, et consequenter magis dividantur in genere scibili, seu in modo procedendi scientificæ.

XXII. Sed inquires: Quæ sunt ista principia, quæ constituunt diversum genus scibile, et multiplicari faciunt habitus in genere scientifico.

XXIII. Respondetur, quod principia scientifica proprie sunt definitiones, quia cum in scientifico processu ex natura, seu essentia probentur passionem, definitio quæ declarat naturam rei, deservit pro principio ad colligendas passionem; unde cum ratio formalis in scientiis sumatur ex principiis, seu mediis, quibus probantur, et scientificæ manifestantur conclusionem, inde est, quod diversa ratio formalis scibilis, quæ est idem, ac distinctum genus scibile, seu distinctus modus sciendi, reducit ad diversum modum definiendi naturas, seu essentias rerum, ut optime tradit D. Thomas in sexto metaphysicorum, lectione prima; unde ex eo quod in scientia naturali diverso modo res definiuntur, quam in mathematica, quia cum minori abstractione a materia, inde est, quod omnes naturæ, quæ conveniunt in illo modo definiendi induunt idem genus scibile, et eandem scibilitatem philosophicam, et hoc est rationem formalem scibilis reduci ad rationem formalem principiorum, id est, definitionum, quia definitiones in scientiis sunt tamquam principia.

XXIV. Ex quo sequitur manifeste, quod quia species repræsentativæ in scientia infusa propter modum connaturalem animæ in qua

recipiuntur, repræsentant cum minori universalitate, quam species angelicæ, id est, modo minus simplici, et unito, oportet quod non solum repræsentent res sub simplici modo repræsentationis, sed etiam sub ratione scibili, id est, repræsentando veritatem, ut deducibilem ex principiis; et quia unamquamque rem, seu naturam specificam adæquate repræsentant, ideo cum unaquaque specifica natura habent illæ species adæquatam definitionem, ita quod modus definiendi unam quidditatem non communicat cum modo definiendi alteram, eo quod repræsentant, et definiunt quamlibet naturam adæquando se illi; et cum quælibet natura sit species distincta ab alia, si quælibet natura habet definitionem sibi adæquatam, quia species ita repræsentant illam quidditative, quod totaliter illi adæquantur, consequenter habent definitionem ita sibi adæquatam ex ipso modo definiendi, quod in tali modo non communicat alia definitio: unde sequitur quod principium sciendi unam naturam non communicat cum principio sciendi aliam, et consequenter fundantur diversa genera scibilium, quod totum reducit ad illud principium, quia species repræsentative naturarum in Christo, ita sunt adæquatæ ipsis rebus in se, quod ex parte rei, et ex parte modi non habent eundem modum definiendi.

XXV. Unde colligo juxta mentem Cajetani 1-2, quæstione LIV, articulo IV, quem sequitur magister Cabrera hic super articulum VI, disputatione V, numero XXII, quod secundum sensum D. Thomæ, quælibet species infusa, quæ repræsentat naturam specificam quidditative distincte ab alia, fundabit distinctum genus scibile, et consequenter distinctum habitum scientiæ; quælibet enim natura specifica si per-

fecte, et quidditative intelligatur, quantum est de se fundat distinctam scibilitatem, et scientiam ab alia, eo quod si illa cognitio illi quidditati perfecte adæquatur, distincto modo definit unam quidditatem, ac aliam, si quidem unaquæque quidditas distinctam speciem, et differentiam habet ab alia, et consequenter si ipsa cognitio scientifica, cuilibet quidditati perfecte adæquatur, habet distinctum, et adæquatam modum definiendi, et demonstrandi passiones, quam alia cognitio, quæ alteri quidditati adæquatur.

XXVI. Ex quo fit, quod in hac scientia infusa habitus scientificus non est operativus specierum, sicut scientia acquisita in nobis; non enim hoc est de intrinseca natura habitus scientifici, sed solum convenit habitui scientifico imperfecto, qui sumit cognitionem a rebus, et sub diversa abstractione, et habitudine attingit ipsas res; unde omnes illæ naturæ, seu objecta, quæ talem abstractionem, et habitudinem induunt, pertinent ad eundem habitum scientificum, quia sub eadem ratione formali continentur, id est, sub eadem abstractione, et immaterialitate. At vero in scientia infusa non proceditur hoc modo, sed unaquæque natura specifica repræsentatur quidditative, et definitur secundum suam propriam, et adæquatam rationem, in qua differt a reliquis naturis; unde unaquæque fundat suam scibilitatem distinctam ab alia.

XXVII. Nec oportet, quod ibi habitus ordinet, et colligat diversas species, quia non respicit plures naturas, quæ per diversas species repræsententur, quatenus uniuntur in aliqua abstractione, vel habitudine scientifica secundum quam unaquæque natura inadæquate so-

lum attingitur per talem scientiam. Scientia vero infusa cum plene, et adæquate unamquamque naturam intelligat, etiam in eo in quo distinguitur ab alia, idque per species singulares, et minus universales, quarum quælibet suæ naturæ adæquatur, ideo non ex collectione plurium specierum consurgit una scientia, sed in qualibet specie, et natura sua scientia invenitur.

XXVIII. Quod si dicas: Ergo non potest Christus Dominus uti hac scientia secundum discursum, et collationem, quia collatio, et discursus est ordinatio specierum, et ex eo probavimus articulo primo hujus quæstionis, quod potest discurrere per hanc scientiam infusam, quia potest uti inadæquate speciebus

XXIX. Respondetur, quod ad discursum sufficit ordinatio, et distinctio conceptuum, non specierum. Unde consulto ibi non diximus, quod potest uti inadæquate speciebus, sed specie, vel speciebus; unde cum unica species in Christo Domino repræsentet naturam specificam cum omnibus suis prædicatis, et accidentibus, et similiter connexionem, quæ est inter unum prædicatum, et aliud, potest uti illa specie secundum quod præcise per connexionem repræsentat prædicatum, et dividendo conceptus repræsentativos prædicatorum, ex vi connexionis inferre unum ex alio, et tunc formaliter discerneret dividendo plures conceptus, deductos tamen ex eadem specie inadæquate considerata.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXX. Ad fundamenta patris Vazquez. Ad primum constat ex dictis de efficacia rationis D. Thomæ; illa enim consequentia, quod dantur

plura genera scibilium, ubi dantur species minus universales, et ex hoc distinguuntur habitus scientifici, quia dantur diversa genera scibilium, non potest tenere nisi procedat de habitu distincto a speciebus, quia habitus, qui sequitur diversum genus scibilis, est habitus distinctus a speciebus, et licet unus habitus scientificus possit habere multas species coordinatas, quibus utitur, non tamen habet multa genera scibilium, sed omnes illæ species ad unum genus scibile reducuntur, unde quamdiu in unaquæque specie invenitur ratio scibilitatis distincta, non oportet multas species coordinare ad unum genus scibile; unde D. Thomas non intulit diversitatem habituum ex diversitate specierum, sed ex diversitate generis scibilium.

XXXI. Sed dices: Quomodo D. Thomas ex eo quod species scientiæ infusæ sunt minus universales, quam in Angelis, intulit dari in eis diversitatem generis scibilium? Nam etiam in Angelis quantumcumque habeant species magis universales, si tamen habent plures species, habebunt plura genera scibilium, licet in minori numero, quam sint in scientia infusa Christi; unde ex eo quod habeat species in minori universalitate, non sequitur, quod habeat diversa genera scibilium, sed solum, quod habeat illa magis divisa, quam Angeli, et sic plures habitus scientificos habebit, tamen etiam Angeli aliquos habebunt.

XXXII. Respondetur, quod species Angelorum ita repræsentant objecta sua, ut descendunt ab ideis divinis, et connexionem prædicatorum, et veritatum inter se, quod tamen non possunt fundare diversos habitus scientificos, eo quod lumen naturale in ipsis non habet indifferentiam aliquam, et potentialitatem ad cognoscendas res naturales, sed

de se postulat esse in actu respectu eorum, quæ naturaliter cognoscere potest. Respectu autem supernaturalium indigent quidem habitu, quia indigent virtute, et lumine proportionante intellectum ad cognitionem supernaturalem, non tamen est lumen divisibile per varios habitus, quia recipiunt illud lumen conformiter ad lumen naturale sine aliqua indifferentia determinabili per diversos habitus, sed tamquam lumen omnino simplex. Et in hoc consistit universalitas illius luminis, et specierum, non solum quia plura repræsentant extensive, sed quia ex parte modi ipsius subjecti recipientis illud lumen est simplex, non habens aliquam indifferentiam respectu suorum objectorum, quæ determinetur per diversos habitus. At vero species infusæ animæ Christi, non ideo dicuntur minus universales, quia solum ad pauciora objecta se extendant, sed quia ipsi modo luminis naturalis accommodantur, importando aliquam indifferentiam determinabilem per varios habitus. Unde cum ex parte objecti repræsentati species habeant tamen limitationem, quod repræsentant scibilitatem objecti distincto modo per unam speciem, quam per aliam, et ex parte subjecti se accommodent ipsi modo connaturali, quo subjectum habet lumen scientificum, ideo ex minori universalitate specierum tam ex parte objecti repræsentati, quam ex parte modi connaturalis subjecti, in quo recipiuntur, intulit D. Thomas tam in corpore articuli quam in solutione ad secundum dari diversa genera scibilium, et diversos habitus scientificos.

XXXIII. Ad secundum fundamentum patris Vazquez dicitur, quod determinatio, quam species ponunt in potentia, est solum determinatio ex parte objecti; cum autem ad co-

gnitionem non solum concurrat objectum, sed etiam virtus potentiæ, oportet quod ista sit proportionata ipsi objecto, si objectum non sit supernaturale; et ulterius determinata, et non indifferens ad ordinandum, et disponendum de ipsis speciebus facile, et prompte, si scientia acquisita sit, et naturalis; unde pro utroque genere indiget habitu superaddito potentiæ, et distincto a speciebus.

XXXIV. Ad fundamenta patris Suarez. Ad primum ex auctoritate D. Thomas in tertio sententiarum dicitur apertissime mutasse sententiam in hoc articulo VI, ut etiam Cajetanus advertit 1-2, quæst. LIV, articulo IV.

XXXV. Ad fundamentum ex ratione respondetur, concesso quod per hanc scientiam infusam tam res supernaturales, quam naturales cognoscantur supernaturali modo, et supernaturali lumine, nihilominus D. Thomas dicit in solutione ad tertium, quod iste modus cognoscendi supernaturaliter est communis ad diversa genera scibilium, et diversos modos scientificè cognoscendi tam res supernaturales, quam naturales, eo quod unaquæque species repræsentans naturam specificam sibi correspondentem, ita adæquate se habet ad illud objectum, quod sub alio modo cognoscit, et tendit ad illud, quam alia species ad suum objectum, et naturam specificam; unde quælibet species est adæquatum principium cognoscendi naturam specificam sub propria distincta scibilibitate correspondente tali naturæ; et cum ex parte subjecti modus connaturalis illius sit habere lumen divisibile per varios habitus, hoc ipso quod ex parte subjecti repræsentantur diversæ scibilibitates, seu modi adæquati sciendi, ex parte subjecti cor-

respondent diversi habitus scientifici, si connaturaliter ad modum subjecti infundantur.

XXXVI. Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma in hoc articulo sexto ad secundum, quod fides ideo est unus habitus, quia ejus ratio formalis est una, scilicet attestatio divinæ auctoritatis; fides enim solum inclinatur ad credere, non ad scire, et ideo stante eadem auctoritate per accidens se habet omnis diversitas rerum credendarum. At vero scientia infusa inclinatur ad cognitionem scientificam, et quidditativam rerum, et non ad credendum per auctoritatem extrinsecam; unde si juxta diversas quidditates dantur diversæ species illis adæquatæ, et repræsentantes diversa principia, et connexionem scibilitatis objecti, consequenter variantur rationes formales habitus scientifici, quæ sunt genera scibilium.

XXXVII. Ad id quod additur de lumine superiori respondetur, quod hoc lumen est superius, quam lumen angelicum superioritate ordinis, quia est supernaturale, et in unaquaque re etiam naturali, aliquid supernaturalitatis repræsentat, saltem secundum habitudinem ad ordinem, et finem supernaturalem, vel ordinem ad causas naturaliter occultas, ut in superioribus explicatum est, ratione cujus etiam futuritionem repræsentant, ac cogitationes cordis, etc. Cæterum in modo tendendi hoc lumen est inferius angelico, quia accommodat se modo naturali subjecti, in quo recipitur, et ita dividitur unaquæque species juxta unamquamque naturam specificam: intellectus autem superior alio intellectu, et sensus communis superior sensu externo, sunt potentiæ superiores etiam in modo tendendi magis unite, et universaliter, unde non est simile.

## QUÆSTIO XII.

### DE SCIENTIA ACQUISITA CHRISTI.

#### EXPOSITIO LITTERÆ.

Præcipua difficultas, quæ in hac quæstione disputari solet, scilicet, quomodo ista scientia fuerit acquisita propriis actibus, et circa quæ objecta se extenderit, supra a nobis tractata est quæstione nona, disputatione de scientia in communi, articulo tertio; neque est quod amplius addatur.

Solum circa articulum quartum in quo sanctus doctor inquit, an Christus aliquid didicerit ab Angelis, exponendum breviter est, quomodo intelligi debeat, quod loquitur Lucæ XXII, confortatum fuisse Dominum ab Angelo instante passione sua, pro quo est considerandum, quod tripliciter potest illa confortatio Angeli intelligi. Primo, improprie, ita ut confortatio sit idem quod laudatio, seu magnificatio alicujus: secundo, sumitur confortatio proprie pro eo quod est consolationem impendere alteri, ipsiusque infirmitatem sublevare, et hoc dupliciter, vel ex parte animæ proponendo objecta consolatoria, vel ex parte corporis fovendo illud, et ministrando necessitati corporali.

Vazquez ergo hic disputatione LVI capite VI dicit, quod confortatio in Christo solum facta est primo modo, sicut docet Epiphanius hæresi LIX, et Chrysostomus tomo tertio in sermone quodam de Trinitate. Neque enim quasdam rationes posset Angelus afferre Christo, quas ipse multo melius antea non cognovisset, ac per hoc nihil solatii ex illis recipiebat. Quod etiam Scriptura insinuat, quæ postquam dixit apparuisse Angelum confortantem, subdit, quod: *Factus in agonia prolixius orabat*: ergo si mansit in agonia, non est consolatus. Et hoc ultimum etiam sequitur pater Suarez in commento articuli quarti dum dicit Angelum quidem de se obtulisse consolationem, sed Christum non recepisse.

Nihilominus vere fuisse confortatum Christum, absolute docet S. Thomas articulo quarto hujus quæstionis ad primum. Et est expressa sententia S. Hieronymi dialogo secundo adversus Pelagianos; S. Cyrilli epistola nona; S. Damasceni tertio de fide, capite XX, et aliorum patrum, ut etiam Vazquez fatetur.

Dico ergo fuisse Christum confortatum secundo, et tertio modo. Secundo quidem, non quia novas rationes ei proponeret Angelus, quas Christus nesciret, sed quia easdem proponebat, quasi compassionem, et societatem illi ostendens: nam et in hoc magna ex parte consistere solatium in Psalmo LXVIII ex persona Christi significatur, dum dicitur: *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; consolantem me quæsivi, et non inveni*. Ipsa ergo simultas, et societas Angeli compatientis, et eandem tristitiam ostendentis, erat genus quoddam solatii. Et Epiphanius, ac Chrysostomus illum modum confortandi per laudationem ponunt, secundum vero non negant. Imo hoc ipso, quod Angelus laudabat Christum